

MEDICAE FACULTATIS DECANI  
HERMANNI FRIDERICI  
TEICHMEYERI

HAEREDITARII IN CAMSDORF ET WENIGEN-IENA  
PHIL. ET MED. DOCT. ANAT. CHIRURG. ET BOTANICAE PROF. PVBL.  
ORDIN. SERENISSIMORVM SAXONIAE DVCVM VINAR. ET ISENAC.  
CONSIL. AVL. ET ARCHIATRI ACAD. IMPER. LEOPOLD. CAROL.  
ET SOC. SCIENT. REG. BORVSS. SODAL.

---

PROGRAMMA INVITATORIVM  
DE  
RHYTHMIS  
BASILII VALENTINI  
DVODECIMVM

---

DISSERTATIONI INAUGVRALI  
DE  
DOLORE FEBRIVM  
ACVTARVM

DIE XXX. AVG. MDCCXXXVIII. HABENDAE  
PRAEMISSVM.

---

IENAE DIE DOM. XII. POST. TRINITATIS.

---

LITTERIS GROEKERIANIS.



t promissis, in programmate undecimo datis, satisfaciam, agendum nunc est de depuratione Mercurii. Impuritates atque sordes, Mercurio iunctae, vel extrinsece vel intrinsece adhaerent.

Cum sordes, Mercurio extrinsece adhaerentes, minime ad Mercurii naturam pertineant, omnis Mercurius, vel ad Barometra, vel ad Aethiopem mineralem, vel ad vnguenta & emplastra, vel ad alium in praxi medica finem impendendus, prius ab omnibus metallicis particulis, plumbo scilicet, puluere, aliisque terrenis depurandus, & quidem adeo sollicitè, vt ad splendorem argenteum, radiantem, fulgentem plenamque fluiditatem perducat.

Mercurius nunc in terrae visceribus fluidus reperitur, & virgineus salutatur, nunc ex suis venis metallicis, minerisque, mediante destillatione, per  
retor-

retortam expellitur vel alio quoque modo extrahitur. \*

Mercurius a mercatoribus emptus ut plurimum impurus est, lucri enim capiendi causa adulteratur; & ideo sequenti, & quidem communi modo purificandus est:

Recipitur scilicet concha lapidea, cui Mercurius infunditur, additur in simul sal commune, quo cum tamdiu trituratur, donec penitus fere dispereat; praeterea additur pulvis scoriarum martis *von Hammer Schlag*, & quidem omnia in portione anatica.

Haec mixtura intime inter se combinata committitur retortae \*\* terreae minori, & ad nostram methodum commodam in ollae furno destillatur in vas recipiens aqua repletum, ita quidem, ut rostrum retortae in aqua penitus sit absconditum, ne vapor Mercurialis in auras abeat; si enim retortae rostrum sub aqua delitescit coagulatur mercurialis vapor, iterumque transvertitur in verum Mercurium. Cum enim inter omnes constet, Mercurium esse spiritum,

) ( 2

tum,

\* Methodum id perficiendi planius descriptam videbis in scriptoribus rei metallicae, v. g. apud Ill. GEORG ENGELHARD *VON LOHNEYS* im Bericht von Bergwercken p. 177. it. in LAZARI ERCKERI *aula subterranea* p. 178. & 179.

\*\* Non sine ratione commendo retortas terreas minores pro destillando & depurando Mercurio; harum enim rostra si incalescunt, ab igne tam forti non rumpuntur; quando vero, contraria ex parte, Mercurius in retortis vitreis, quorum rostra sub aquis delitescunt, destillatur, vix fieri potest, ne vitra rumpant atque frangantur. Hoc iam dudum observavit PHILALETHA, hinc ferreas & ex Chalybe confectas commendat retortas *cap. XV. introitus aperti.*

tum, qui ab igne in vaporem & fumum resoluitur, siue quod idem est, in aerem & effluvia abit.

Alii depurationem Mercurii aliis suscipere solent modis; vt exempli loco unicam tantum adducam rationem Mercurium depurandi, recipiunt cinnabarim factitiam, vel etiam Mercurium sublimatum, & ex hisce corporibus addendo sufficientem & anaticam vel limaturae vel scoriarum Martis quantitatem, mediante destillatione in pristinum restitunt corpus, eundemque Mercurium dicunt rediuium. \*\*\*

Verum quamuis Mercurius hac methodo communi a sordibus suis extrinseco mundificetur, ille tamen intrinsece non est purificatus. Omnia enim, quae cum Mercurio in sublimatione coniunguntur, v. g. sulphur commune in cinnabari, spiritus nitri, salis & vitrioli in Mercurio sublimato, cum sint extrinsece saltem agentia, quae mercurium non penetrant intime, nec suas proprietates intrinsecas mutant, facili enchyrisi ab eo iterum separantur.

Impuritates intrinsecae vero, quae in certa terra certaue aqua, quae bina intime inter se iunguntur cum Mercurio, consistunt, hac indicata methodo communi, nunquam separantur a Mercurio.

Pauca haec praemittere dissertationi inaugurali clarissimi atque dignissimi Candidati artis salutaris per-

---

\*\*\* Vide *institutiones meas chymicas* p. 35. & 36., vbi de depuratione Mercurii tractatur, & si vis, iunge cum iisdem *institutiones meas materiae medicae cap. IX. de Saluatione Mercuriali.*

permisit vitae ratio, quam hic, uti moris est, propria Candidati manu consignatam exhibeo:

# CAROLO GOTTLÖB RÜCKERO

Zittaviae a. CIO IOCC IX. Die XVII. Kalend. Febr. contigit nascendi conditio. Patre ille natus honesto, annum nunc agente octogesimum quintum, Gymnasii Zittaviensis Collega, CAROLO RÜCKERO, matre DOROTHEA ROSINA, ex Neumanniorum stirpe oriunda. Fidelissima ipse patris charissimi informatione in litteris latinis aequae ac graecis usus, ac pietatis christianae principiis imbutus, curae commissus fuit clarissimi M. CHRIST. PESCHECKI, Arithmeticae praecepta ipsi tradentis ac Geometriae, ac transactis aliquot annis in celebratissimo illo virtutis & meliorum artium seminario Zittaviensium cum a reliquis Praeceptoribus publicis b. M. MICH. ZIGERO, IOH. DAN. STRAVITZIO, Subrectore, M. ADAM ERDM. MIRO, Conrectore, & deinceps a defuncti huius successore M. SAM. FRIDER. BVCHERO, viris de re literaria praeclare meritis; tum vero a Gymnasii modo laudati Directore M. GOTHOF. POLYCAR. MÜLLERO, insigni sua eruditione maximam inter doctos nominis celebritatem consequuto, in iis artibus, quibus iuuenilis aetas ad humanitatis studia informari solet, eruditus, atque adeo, ductu insuper experientissimi Medicinae Doctoris & Practici IAC. FRIDER. GERBERI, fundamntis quibusdam in scientiis anatomicis & chymicis rite iactis, sublimioribus in academia disciplinis rite tractandis idoneus iudicatus, habita, qua Gymnasio valediceret, oratione de Democriti Abderitae vita, huius cognitione anatomica, & incrementis rerum anatomicarum ad nostra usque tempora, die XI<sup>mo</sup> Kalend. octobris Anno CIO IO CC XXXI.

adiit florentissimum hoc Musarum Ienensium domicilium. Quo facto nomen suum apud Pro-Rectorem tunc temporis Magnificum IOH. ADOLPH. WEDELIVM professus, atque ita die V. iduum Octobris ordini litterarum studiosorum rite adscriptus ab HERM. FRID. TEICHMEYERO, cuius patrocinio fuerat commendatus, petitis, quo pacto studiorum rationes rite forent ineundae, consiliis, cum ab ipso doctore Philosophiam naturalem, Chemicam, Anatomiam, Physiologiam, Pathologiam, Praxin medicam & Medicinam legalem est edoctus; tum vero operam dedit viris Illustribus atque Excellentissimis, HILSCHERO & HAMBERGERO, quorum alter materiam medicam priuatim, pathologiam vero & modum praescribendi formulas publice ipsum pertraxit; alter studia eius in scientiis pariter physicis, ac anatomicis in maius meliusque prouexit, cuius etiam praelectionibus publicis incrementa debet, quae in disciplina chirurgica in dies cepit maiora. In methodo medendi generali ipsum erudiuit vir de arte illa maxime salutari immortaliter meritus, Illustris, atque Excellentissimus, IOH. ADOLPH. WEDELIVS. Statim sub initio annorum academicorum in percipiendis artis mathematicae praeceptis opera usus est SEGNERI, Mathematicum & physices nunc temporis in Academia Goettingensi P. P. O. celeberrimi: Philosophiae eiusdemque rationalis praeceptorem habuit M. IAC. CARPOVIVM, illustris Gymnasii Vinarient. nunc Rectorem clarissimum. De ipsius studiorum rationibus praeclare itidem meruit Hospes desideratissimus, Excellentissimus EMAN. CHRISTIAN. LOEBERVS, usu & experientia in arte medica insignis, quem praelegentem audiuit Praestantissimi BOERHAAVII institutiones medicas, & aphorismos de cognoscendis & curandis morbis: cuius praecepta quum rite haberet percepta, prolixissima hospitis modo laudati in ipsum voluntate factum est, ut cum isto aegrotos aliquoties, qui curae ac fidei eius se commiserant, conueniret, & quo illi modo forent tractandi, discer-

ret

ret. *Suadente ita Hospite Excellentissimo, studiorum suorum rationibus amplius prouisurus, relicta die VII. iduum Septembris CIJ IJ CC XXXV. urbe Ienensi, & itinere per Cassellas, Paderbornam, Mimingrodam, Zwollam, Sinum Austrinum facto, Amstelodamum concessit, & inde Lugdunum Batavorum se recepit, ibique artis medicae peritia Praestantissimorum virorum, HERM. BOERHAAVII iuxta, institutiones & aphorismos practicos a se editos explicantis, ac BERNH. SIEGFR. ALBINI, scientias anatomicas & chirurgicas, itemque in praeparata sua anatomica ceracea materia iniecta considerationes physiologicas tradentis, scholas non sine insigni iucunditate & fructu frequentavit, & utilitatem haud mediocrem ex doctissimis Praeceptoris postremo loco nominati colloquiis, quae ipsi Hospitis commendatio effecerat, percepit. Morbo tamen conflictatus acuto, eodemque summa cum mirum Abilitate coniuncto, & quum iam conualuisse videretur, vertiginans ac capite debilis, & regionis Batauicae aëra pertaesus, hortante ita Experientiss. Med. Doct. GERH. A SWITEN, cui valetudinis restituendae curam commiserat, postquam Hagae Comitum, Amstelodami, aliisque in locis illustrioribus, nosocomia, & domos publicas visendi, & notatu ac spectatu digniora in usum suum conuertendi gratia aliquamdiu fuit commoratus, in Germaniam d. VII. Kalendar. Augusti CIJ IJ CC XXXVII. se recepit, & ut valetudini indulgeret, per varia eius regionis loca iter fecit, & inter alia & Cassellas, ubi rariora multa ipsi videre contigit, & Marpurgum adiit, ubi Philosophus, quem nostra tulit aetas percelebris, CHRISTIANVS WOLFIVS, ipsi sui conueniendi copiam fecit. Inde Ienam ipsis idibus Augusti CIJ IJ CC XXXVII. reuersus, & quae coeperat, studia ulterius est profecutus.*

Confecto nunc studiorum itinerumque cursu laudabili, ad altiora contendens adiit, ut par est, facultatem nostram medicam rogans, ut aditus ei ad consueta examina aperiretur. Voti huius parti-  
ceps

ceps factus, spem omnino implevit facultatis, docuitque, se tempus studiis itineribusque datum bene collocasse.

Restat dissertatio inauguralis, quae de DOLORE FEBRIVM ACVTARVM agens, sub praesidio laudati Magnifici HILSCHERI habenda erit die XXX. Aug. M DCC XXXVIII.

Ad hunc vero actum solennem Magnificum Pro-Rectorem, illustrissimos S. R. I. Comites, academiae proceres venerandos, hospites omnium ordinum honoratissimos, & generosissimam & in spem patriae efflorescentem commilitonum coronam perofficiose & beneuole, collegii medici nomine, invito. P. P. Ienae die Dom. XII. post Trinit. MDCC XXXVIII.

